



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Poemata Ferdinandi Episcopi Monasteriensis Et Paderbornensis, S. R. I. Principis, Comitis Pyrmontani, Liberi Baronis De Furstenberg**

**Ferdinand <Paderborn, Bischof, II.>**

**Parisiis, 1684**

Beneficium Immaculate Conceptae Virginis Matris Ope, ut ferunt,  
Impetratum ... Pius Affectus Neomystae ...

**urn:nbn:de:hbz:466:1-7748**

B E N E F I C I U M

IMMACULATE CONCEPTÆ VIRGINIS MATRIS  
OPE, UT FERUNT, IMPETRATUM

*Roma Idib. Novemb. Ann. M. DC. LII.*

**C**UM gravis urgeret castæ lapis ægra puellæ  
Viscera, nec medica cederet arte dolor:  
Una salus, hominum nullam sperare salutem,  
Credita, divinam poscere suasit opem.

IMMACULATA fuit titulus **C**ONCEPTIO chartæ  
Inscriptus, tanti certa medela mali.

Virgo sacro Mariæ signatam nomine chartam  
Sumit, & arcano Numine plena vorat.

Nec mora: cœlesti pulsus virtute recedit  
Calculus; hunc circum charta vorata tegit.

Si quis adhuc ausit communis origine culpæ,  
Virgo parens, ortus commaculare tuos;

Hæc ubi facta leget niveo signanda lapillo,  
Aut lapis, aut duro durior est lapide.

PIUS AFFECTUS NEOMYSTÆ

*Nocte Christi natali, ad ejus præsepe, primum litantis, Roma in  
Basilica Sanctæ Mariæ Majoris. Anno M. DC. LIX.*

**C**ASTA placent superis: casta cum mente venito,  
Bethlemii quisquis cernuus antra subis.

Hic illibatæ Genitricis amabilis infans,

Natales cunas exhibet ipse **D**EUS;

Et castis oculis castos adspirat amores,

Et flammæ roseo provocat ore meas.